



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 15. Quid tenetur homicida, vel mutilator restituere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

tè Superior sit, & sic implicitè consentit in omnia damna inde secutura: scienti autem, & sponte consentienti non sit injuria. Nihilominus videtur teneri restituere damna creditoribus inde obvenientia, & alere uxorem, ac liberos occisi, si indigeant, & occisus eos alere ex suo quasi: nam hic non potest validè condonare jus alienum. Constat autem provocantem teneri ad restitutionem, si provocatus occidatur, & involuntariè pugnârit, & solum ad vim repellendam, quia provocans est tunc aggressor injustus, nec aggressori injusto sponte condonatur restitutio. Porro provocatus, qui voluntariè, & ex condito descendit in pugnam, censetur, & est aggressor, cum nullam vim patiatur, & revera provocantem etiam aggreditur, nec purè se defendit.

Q. 15. Quid tenetur homicida, vel mutilator restituere?

Resp. I. Ex communi læsor tenetur solvere integras expensas factas in curationem læsi, & compensare omne lucrum cessans, & omnia damna realia ex homicidio, mutilatione, vel læsione secuta, L. ult. ff. *de his qui effud.* quia injusta sua actione fuit causa efficax talium damnorum, & cessationis lucri: sed qui est causa damni per injuriam, tenetur ad restitutionem, c. ult. *de injur.* Omnia autem damna realia, & lucrum cessans restitui debent hæredibus

redibus occisi, qui ex ejus morte hæc damna passi sunt. Quia hæredes hoc ipso, quòd sunt hæredes, succedunt in omnia jura realia defuncti L. 37. ff. de acquir. vel omitt. hæred.

Hinc si læsus quæstum ex officio, industriâ, labore, vel artificio aliquo faciebat, tenetur læsor restituere hæredibus, non quidem quantum læsus lucraturus erat, (cùm hoc sit incertum, & variis modis impediri possit) sed quantum, judicio prudentum valet spes lucri, spectatis omnibus circumstantiis; æstimatio enim lucri cessantis facienda est, inspectis hominis occisi, vel læsi valetudine, robore, ætate, peritiâ, artificio, statu, modo vivendi, & lucrandi, deductis quidem impensis, & iis quæ consumpsisset, nam quæ consumpturus erat non possunt numerari in lucris ad hæredes pervenientibus. Occisor autem solum tenetur restituere valorem operarum, & industriæ, quatenus ex illis obyenturum erat hæredibus emolumentum.

Sed *ex communi* deduci non debet æstimatio laboris: tum quia labor fuit injustè impeditus: tum quia plerique libentiùs laborem impendunt ad lucrum, quàm otiantur; & alioqui plerumque nil restituendum esset, cùm sæpe lucrum non superet æstimationem laboris.

Item occisor tenetur aliquid, arbitrio prudentum, restituere animæ occisi; si non constet deceisse in statu peccati, & præsumatur
pro

pro peccatis suis esse satisfactorius, si diutius vixisset. Nam ex hac parte damnum spirituale per injuriam illatum est, cum privando facultate præstandi has satisfactiones: quod proinde resarciri debet per eleemosynas, missas, preces, &c. juxta æstimationem verisimilitudinis satisfactionum, quos occisus per se, vel per alios sibi comparasset, si non fuisset occisus. Ita S. Antonin. ex Scoto, De Lugo, Navar. Galit.

Not. Si homicida, vel alius damnificator moriatur, antequam restituerit, tenentur hæredes ex ejus bonis restituere, quantum ipse tenebatur: quia hæredes succedunt in omnes obligationes reales defuncti, sicut in omnia ejus bona, & jura; quamvis jus civile neget hæredibus occisi actionem de damno in foro externo in hæredes occisoris, nisi ante mortem ejus lis contestata fuerit: sed hoc non liberat eos in foro conscientie, nihil enim facit ad obligationem coram Deo, quod lis ante contestata, vel non contestata fuerit. Imò ex communi ad restitutionem tenentur hæredes, etiam si læsor morte, vel aliâ poenâ multatus sit. Quia damna privati non resarcuntur per hanc publicam punitionem, quæ in vindictam publicam, & terrorem aliorum irrogatur; & quæ est tantum compensatio injuriæ Reip. illatæ: lex autem divina naturalis obligat ad resarciendum omne damnum injustè illatum; & cum quis duobus diversas res
debet,

debet, non satisfacit utrique debito, solvendo uni, & non solvendo alteri, quod ei debet. Nisi tamen hæredes occisi contenti sint pœnâ talionis, ut plerumque solent, si sint nobiles, ac divites; nam restitutionem remittere possunt.

Resp. II. Ordinariè læsor nil tenetur restituere pro impensis funeris; nam cum aliquando faciendæ fuerint, nil damni ex hac parte illatum est; nisi fortè propter accelerationem, eò quòd citius istæ impensæ fieri debuerint, ex quibus adhuc aliquid lucri fieri potuisset; vel nisi funus factum sit in alieno loco, ubi majores sumptus quàm domi fieri debuerunt, nam omne lucrum cessans, & damnum emergens compensari debet.

Q. 16. *An occisor, vel mutilator tenetur restituere non solum uxori, & liberis, sed etiam aliis, & creditoribus?*

Resp. I. Si occisus, vel mutilatus aiebat uxorem, & liberos, vel parentes ex quæstu quem faciebat, læsor tenetur eos alere. *Est communis.* quia tantumdem damni illis injultè intulit, per occisionem injustam, impediendo, ne alerentur ad hoc homine determinatè, nempe marito, Patre, vel Filio. Imò ad id tenetur, etiamsi læsus omnia, quantum potest, occisori remiserit; quia hæc obligatio oritur ex injuria talibus illata, quæ non potest nisi ab illis remitti. Et læsus non potest validè cedere Jure, quod